

No. 971. [c. 1438.]

Nic. Weigel, Abgeordneter der Univ. Leipzig zum Baseler Concil und Stellvertreter des B. Johann nach dessen Weggange von Basel, schreibt demselben im Eingange seiner Schrift de indulgentiis von Freiberg aus:

Reverendo in Christo patri ac domino — Joanni d. gr. Misnensis ecclesiae episcopo — Nicolaus Weygil art. libb. magister immeritus sacraeque theologiae bac. formatus, ecclesiarum Wratislav. et s. sepulcri dominici Legnicensis canonicus salutarem septimplicem sperans indulgentiam utilisque hominis felicitatem deifice adipisci. Reverende pater et domine gratiose. Sacra synodus Basiliensis, in qua post eiusdem vestrae paternitatis a dicta synodo discessum locum et vices tenui licet indignus et insufficiens, ut verbis utar Isaiae prophetae, ad annunciandam eius sanctam intentionem mansuetis et Christi fidelibus per provinciam Magdeburgensem et vestram Misnensem diocesin misit me, ut mederer consolationis verbo contritos corde et praedicarem captivis per reatum culpae indulgentiam, indulgentiam inquam datam omnibus corde contritis et ore confessis contribuentibus pro reductione Graecorum etc.

Hankii de Silesiis indigenis erudd. lib. p. 123. Des B. Johann Einladungsschreiben an Nic. Weigel zur Annahme des Doctorats der Theologie d. d. Stolpen. 30. März 1441 s. ebend. S. 126.

No. 972. 1439. 16. Mai.

Das Concil zu Basel setzt als grundsätzliche Wahrheiten fest, dass ein allgemeines Concil über dem Pabst und jeder andern Auctorität stehe, sowie dass ein solches wider dessen Willen weder aufgelöst, noch vertagt noch an einen andern Ort verlegt werden darf, Jeder aber, der diesen Wahrheiten beharrlich widerspricht, für einen Häretiker zu erklären sei.

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata universalem ecclesiam repraesentans ad perpetuam rei memoriam. Sicut una est Christi ecclesia, quae ut ait apostolus est columpna et firmamentum veritatis, sic omnia ecclesiae membra unitatem semper observare necesse est in professione catholicae veritatis atque fideliter et firmiter credere, quicquid per ipsam ecclesiam de veritate fidei fuerit declaratum, ut non sicut parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinae, aut per repugnantium dogmatum varietatem in divisiones et scismata prolabantur. Dudum autem in sacra generali Constantiensi synodo conveniens catholica ecclesia veritatem de generalium conciliorum auctoritate sollemniter declaravit. Deinde in hac sacra generali Basiliensi synodo eandem necessariam declarationem sub eodem qui sequitur tenore innovavit. Primo, quod generalis synodus in spiritu sancto legitime congregata generale concilium faciens, ecclesiam catholicam militantem repraesentans potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat obedire tenetur in iis, quae pertinent ad fidem, ad extirpationem scismatis et ad generalem reformationem ecclesiae in capite et in membris. Item declarat, quod quicumque cuiuscunque dignitatis etiamsi papalis existat, qui mandatis statutis sive ordinationibus aut praeceptis huius sanctae synodi et